

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. II. Quæ sint notæ veræ Ecclesiæ, & an illæ soli Romanæ Ecclesiæ
competant?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](#)

21. Objiciunt quarto: Post Concilium Ariminense, in quo per fraudem Arrianorum formula fidei fuerat immutata, scribit Hieronymus toto orbe Arrianorum hæretum viguisse: *Totus orbis, inquit, ingenuit, & miratus est serpente factum Arrianum*: Ergo tota Ecclesia potest à fide deficere, & labi in errorem.

22. Respondeo in Ecclesia tunc temporis fuisse quamplurimos qui non obstante Arrianorum fraude & perfidiâ in fide orthodoxa fortiter perseverunt, ut Hilarius Pictaviensis, & cum eo tota Gallia, quæ ab ejus partibus maximè stabant, ut ex eo patet quod cum ab exilio reverteretur, eum tota Gallia quasi ovantem & triumphantem de hæresi complexa fuerit, & ex eo quod dicit Hieronymus Galliam, frementibus hæresibus, caruisse montris. Item persistebat eo tempore in fide Clerus Romanus cum Papa Felice, qui in locum Liberij post ejus lapsum suffecitus fuerat, multique alij qui neque Imperatoris Constantij minis, nec fraudibus Arrianorum, à vera fide unquam dimoveri potuerunt. Unde Hieronymus verbis relatis significare tantum voluit, plures tunc provincias ad Arrianorum partes, propter ementitum illud Concilium Ariminense, commigrasse. De quo videri potest Baronius ad annum Christi 358.

23. Objiciunt quinto: Summus Pontifex, qui est caput Ecclesie, potest in fide errare: Ergo & tota Ecclesia, non enim debemus in corpore majorum quam in capite infallibilitatem admittere, cum illud ab isto regatur.

24. Respondeo dato Antecedente, de quo infra, negando consequentiam & paritatem. Ratio vero dispartiarum est, quia potest Summus Pontifex aliquid sentire & credere contra fidem, absque eo quod propterea excidat à dignitate capititis ipsius Ecclesie; satis enim ipsi est ad illius dignitatis conservationem, quid nihil adversus fidem doceat, quia in sentiendo & credendo se habet tantum ut persona particularis, & solidi in docendo ut caput. At vero si Ecclesia, etiam præcisè in sentiendo, à fide deficeret & incideret in errorem, eo ipso desineret esse Ecclesia sive sponsa Christi, cum per fidem illi despontetur, juxta illud Osee 2. *Sponsabo te mihi in fide.*

25. Objiciunt ultimo: Ecclesia est libera in credendo mysteriis nostræ fidei: Ergo potest nolle ea credere, subindeque à fide deficere.

26. Respondeo quod licet Ecclesia absolutè, & nullâ factâ suppositione divinae promissionis, sit libera in credendo tam libertate contrarietatis, quam contradictionis; ex hypothesi tamen promissionis divinae, est quidem libera in credendo, libertate contradictionis, non tamen contrarietatis, subindeque non potest in fide errare, cum ad hoc non sufficiat libertas contradictionis, sed requiratur insuper libertas contrarietatis. Potestque haec solutio explicari & illustrari exemplo Christi, qui supposita sua impeccabilitate, non erat liber circa mortem sibi à Patre preceptam, libertate contrarietatis, sed duntaxat libertate contradictionis. De quo fuisse in Tractatu de Incarnatione.

Diss. 21.
411. 3.

ARTICVLVS II.

Quæ sint notæ veræ Ecclesiæ, & an illæ soli Romanæ Ecclesiæ competant?

27. **T**ria in hoc articulo præstanta sunt. Primo explicandæ sunt notæ veræ Ecclesiæ in Symbole Niceno his verbis expressæ: *Credo in unam, sanctam, catholicam, & apostolicam Ecclesiam*. Secundò offendendum est, quatuor illas veræ Ecclesiæ notæ, Romanae convenire Ecclesiæ, illamque esse unam, sanctam, catholicam, & apostolicam. Nomine vero Romanæ Ecclesiæ, non intelligimus solam fidelium societatem urbe Româ inclusam, ut fingunt aliqui Adversariorum, sed totam illam multitudinem hominum, qui ubiqui que terrarum unam & eandem fidem profitantur, sub uno eodemque Pastore universali, Romano Pontifice, cui tanquam capiti Ecclesiæ, visibili Christi Vicario in terris, & legitimo Petri successori adhaerent. Tertium quod nobis probandum incumbit, est quatuor prædictas veræ Ecclesiæ notæ, Lutheranorum & Calvinistarum sectæ minimè convenire.

§. I.

Prima nota veræ Ecclesiæ, unitas.

28. **V**eram Ecclesiam esse unam docet Scriptura pluribus locis Cantic. 6. *Vna est amica mea, formosa mea, columba mea. Joan. 10. Fieri unum ovi & unus Pastor. Ad Roman. 12. Multi unum sumus. Unde egregiè Cyprianus lib. de unitate Ecclesiæ, cap. 3. Ecclesia Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit: unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur & nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit; profuentes largiter rivos latius expandit: unum tamen caput, & origo una, & una mater secunditatis successibus copiosa. Illius fons nascimur, illius latte nutritur, spiritu eius animamur. Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est & pudica, unius domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit.*

29. Porro multiplex est Ecclesiæ unitas, multisque modis illa una dicitur: Primo unitate principij, nempe Dei vocantis, & Christi eam fundantis & instituientis. Quo sensu veteres Patres, potissimum Tertullianus in Apologetico cap. 39. mirantibus paganis, quod Christiani se fratres nuncuparent (quo nomine mutant inter se unitatem significabant) respondebant: *Frates sumus, qui unum patrem Deum agnoscimus, qui unum spiritum bibimus sanctitatis, qui de uno utero ignorantia ejusdem ad unam lucem expavimus veritatis.*

30. Secundo Ecclesia dicitur una, ratione finis, nempe aeternæ beatitudinis, quam omnia Ecclesiæ membra sperant. Unde ait Arnobius Apologia contra Gentes: *Frates sumus, quia ad eandem hereditatem, nempe aeternam beatitudinem aspiramus.*

31. Tertiò dicitur una, ratione unitatis mediorum, tam internorum (qualia sunt fides, spes, & charitas) quam externorum, nempe sacramentorum, sacrificij Eucharistiae, & legis Evangelicæ. De unitate fidei dicitur ad Ephel. 4. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filij Dei.*



Unitas spei constat ex eodem Apostolo ibidem dicente: *Vnum corpus & unus Spiritus, sicut vocati estis una spe vocationis vestra.* Quia de causa, inquit Augustinus in Psal. 140, cum haec vox sit omnium Martyrum, *Dissipata sunt ossa nostra, in pluri-
ali clamatis.* *Ad te Domine, Domine, oculi mei, quia in te speravi.* Unitas charitatis infinitatur. *Aeternum.* *Credentium erat cor unum & anima una in Domino,* quia (inquit Glossa) copula charitatis in unum jungitur; sicut olim in celebri Cyzici delubro, lapides omnes filo aureo colligabantur, ut refert Plinius lib. 36, cap. 15. Hujus unitatis egregiam afferat Bannez rationem: *Quod tribuit alicui bonitatem (inquit) illud eidem secundum Platonicos tribuit unitatem; bonitas quippe rem ipsam in qua est conservat & perficit: At nihil in esse conservatur, nisi per hoc quod est unum: nam divisa & segregata cito pereunt & dissolvuntur;* Igitur cum charitas Ecclesie bonitatem & perfectionem tribuat, eidem etiam unitatem confert. Quantum ad unitatem sacramentorum, Apostolus eam infinitatur ad Ephes. 4, sub nomine Baptismi, qui est reliquum Sacramentorum janua, dum ait: *Vnus Dominus, una fides, unum baptisma.* De unitate vero sacrificij ait ad Corinth. 10. *Vnus panis & unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane & de uno calice participamus.* Item de unitate legis & ceremoniarum dicit ad Ephes. 4. *Ipsa est pax nostra, qui fecit iurae unum, & medium parietem maceria solvens, ini-
micitias in semetipso, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipsum in unum novum hominem.* Quibus verbis significat, populum Iudaicum & Gentilem (qui diversi erant propter maceriam legum & praeceptorum, quo utroque inter se dividebat) fuisse coniunctos per Christum, qui hanc maceriam destruxit, & omnes sub lege Evangelica adunavit.

^{32.} Quartò Ecclesia est una, ratione unius ejusdem capitis visibilis, nempe Pontificis Roma sedantis, qui per totam Ecclesiam supremus omnium fidelium Pastor agnoscitur: per ordinem quippe ad eum, omnes fideles toto orbe diffusi ununtur, & ab omnibus hereticis & schismaticis discernuntur. Hanc autem unitatem infinituavit Christus Joan. 10. *Alias oves habeo que non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & fieri unum ovile, & unus pastor:* & Cyprianus, cum dixit Ecclesiam esse gregem, & plebem suo pastori adunatam, quod de Ecclesia in nova lege debet intelligi: nam Ecclesia ante adventum Christi tam unitatem non habuit; tum quia Gentibus que fideles erant, & Judæis, non praerat unus Pontifex: tum etiam quia Gentes ipsa, ut recte docet Bannez, nullum sibi caput visibile, à quo in mysteriis fidei edocerentur, agnoscabant, sed vel per lumen quoddam interiori, vel à parentibus, vel ab aliis sibi æqualibus instruebantur.

^{33.} Quintò Ecclesia dicitur una, unitate corporis mystici: quia sicut ex diversis & eterogenenis partibus unum corpus naturale resultat, ita ex omnibus fidelibus, fide, & sacramentorum, ac Divinorum & Ecclesiasticorum præceptorum vinculo inter se coniunctis, unum corpus mysticum efficitur: & hujus mystice unionis beneficio, fideles omnes in bonis spiritualibus inter se communiant, unus pro altero satis facit, suis orationibus juvat, & in summa, omnia bona sua opera illi aliquo pacto applicat, juxta illud Prophetæ: *Particeps ego sum omnium timentium te;* & istud Apostoli: *Adimpleo qua desunt passioni Christi in cor-*

^A pore meo, pro corpore ejus, quod est Ecclesia, id est pro omnibus fidelibus, quibus universos labores à me in Evangelij prædicatione toleratos communico. Unde præclarè Bannez verba hæc Cantic. 4. *Greges tuū sicut greges tonsarum, que ascendunt de lavacro, omnes gemellis fratibus, & steriles non est inter eas,* de Ecclesia, seu de omnibus fidelibus explicat: siquidem oves sunt fideles, qui de lavacro baptismi ad gratiam ascenderunt sunt autem hæc oves fratres, & fecundæ, quia quisque fidelium, partem suorum meritorum, sicut unque satisfactionum, in communem aliorum utilitatem effundit: quare Glossa interlinearia ait, quod nec illi inter steriles deputantur, qui abluti statim ex hac vita rapiuntur; habuerunt enim sobolem fidei, quam vel ipsi pro se, vel aly pre ipsis confessi sunt; habuerunt etiam votum bona operationis, quod inter oves Christi, sexpediatissimis, socialiter exercissentur. Ubi nota particularia hanc Socialiter, quia scilicet illi, si diutius vixissent, in communem Ecclesie utilitatem sua opera meritoria transfundissent. Unde Tertullianus Apologet. 39. *Trahe quia animo animaque misericordia, nihil de rei communicatione dubitamus: omnia indiscreta sunt apud nos, prater uxores: in hoc solo consortium fulgimus.*

C

§. II.

Secunda nota vera Ecclesia, Sanctitatis.

^B Christi Ecclesiam sanctam esse docet Scriptura variis locis: nam Cantic. 4. de Sponsa Christi, quæ est Ecclesia, sic dicitur: *Quæ est ista quæ progrediatur, quasi aurora confurgens, pulchra ut luna, electa ut Sol?* Ad Ephes. 5. *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.* Ad Titum 2. *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Ad Roman. 1. *Omnibus qui Roma sunt vocatis sanctis, hoc est ad sanctitatem colendam, quam in baptismo profecti sunt.* Denique 1. Petri 2. *Christiani appellantur Genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta.*

^C Hæc vero sanctitas Ecclesie consistit primò in puritate fidei, seu immunitate ab omni errore in doctrina quam proficitur; & ea de causa Apostolus ad Roman. 1. fideles appellat sanctos, secundum expositionem Chrysostomi in hæc verba, *vocatis sanctis.* Similiter Augustinus in Psal. 85, ait quilibet fidelem dicere posse: *Quoniam sanctus sum;* quod certè de sanctitate fidei tantum potest significari, cum constet quamplurimos fideli carere sanctitatem mortuorum. Secundò consistit in sanctitate vite, quâ prædicti sunt qui se illius doctrina conformant: Ecclesia namque à licentia peccandi avertit, & ad probitatem mortum, vitæque sanctitatem impellit, ad illamque multum re ipsa promovet. Tertiò Ecclesia est sancta, quia tota est divino cultui consecrata, ejusque sacramenta, instituta, ritus, & ceremonia, sanctitatem undeque redolent; & quia amor charitatis est veluti lex Salica Christianismi, de qua dicitur Psal. 18. *Lex Domini immaculata:* id est lex charitatis dicitur lex Domini, non solidum quia illam inscribit cordibus nostris, sed etiam, quia ex illa vivit & agit, ut elegantissime prosequitur D. Bernardus Epistola ad Carthusianos.

thusianos. Denique Ecclesia est sancta, quia sanguine agnitincta & resperfa; sanctum enim, juxta Isidorum lib. 10. Etymol. dicitur quasi *sanguine tintatum*; unde ubi 1. Petri 2. Populus Christianus vocatur *Gens sancta*, *populus acquisitionis*, Glossa dicit, *populus Christi sanguine respersus & redemptus*.

§. III.

Tertia nota vera Ecclesia, quod sit Catholicica.

36. **V**eram Christi Ecclesiam esse Catholicam, ita certum est, ut non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis & impugnatoribus ejus Catholicam nominetur, inquit Augustinus lib. de vera relig. cap. 7. Unde idem S. Doctor lib. contra Epist. fundamenti cap. 4. *Tenet me in Ecclesia ipsum Catholicam nomen, quod non sine causa inter tam multas heres sic ista Ecclesia obtinuit, ut cum omnibus Hereticis se Catholicos dici velint, querenti tamen peregrino alicui, ubi ad Ecclesiam Catholicam conveniatur, nullus Hereticorum basilicam suam, vel domum audeat ostendere.*

37. Porro multipliciter vera Ecclesia dicitur Catholicica: Primo ratione locorum, cum sit per totum orbem diffusa, neque unius regni aut provinciarum terminis, ad instar hereticorum cœtum, definita; nam καθολικὸς γρæcè appellatur, quod per totum orbem diffunditur, ut ait Augustinus Epist. 170. ad Severinum. Unde idem S. Doctor in libro de unitate Ecclesiarum contra Donatistas, contendentes hanc ubique locorum diffusionem vera Ecclesia non convenire, sic loquitur: *Singula heres in multis gentibus, ubi Catholicam Ecclesiam est, non inveniuntur: hec autem qua ubique est, etiam ubi illa non sunt invenitur.* Item lib. 4. de Symbolo cap. 10. dicit: *Ecclesia totum mundum possidet, & quacunque congregatio cuiuslibet heresis in angulis sedet.* Et alibi comparat congregations hereticorum sarmentis praefatis, quæ ubi cadunt cum præscinduntur, ibi manent; cum cœtus ille, qui est vera Ecclesia, tanquam vitis vivat, & ubique palmites suos extendat. Secundo vera Ecclesia, Catholicam dicitur, ratione temporum: vera enim Ecclesia semper fuit, & semper erit; aliae vero sectæ post eam incepserunt, ideoque quotidie mutantur, sensimque intereunt. Tertio ratione personarum: omnes enim indifferenter vocat & complectitur, si salutem conseqüi velint, & obediere Evangelio: Barbaros & Græcos, Judaos & Gentiles, nobiles & ignobiles, reges & subditos. Tandem dicitur Catholicam & universalis ex parte doctrina fidei, que universaliter est vera, & continet omnia ad cognitionem & bonos mores necessaria, omnem docet virtutem, & omne prohibet peccatum. De quo videri potest Cardinalis Turcremata lib. 1. Summaria cap. 13.

§. IV.

Quarta nota vera Ecclesia, quod sit Apostolica.

38. **E**x triplice capite vera Ecclesia dicitur Apostolica: Primo quia à Christo, qui ad Hebr. 3. appellatur Pontifex & *Apostolus confessionis nostræ*, fundata & instituta est. Secundo quia superadicta est super fundamentum Apostolorum, ut dicitur ad Ephes. 2. Unde Cyrillus Alexandrinus exponens verba illa Prophetæ, *fundamenta ejus in montibus sanctis*, dicit montes illos san-

Tom. IV.

A **Etos esse Apostolos**, in quibus jaœta sunt Evangelica veritatis fundamenta: montes revera sacros, in quibus lucidissimum veritatis candelabrum non potest abscondi: revera montes, ob doctrinæ eorum altitudinem, excellentiam, & firmitatem; verè montes, qui primos orientis Evangelica facis radios excipere meruerunt, à quibus totus mundus illuminatus est. Hi eriam sunt putissimi & plenissimi Christiana doctrinæ fontes, de quibus Regius Yates spiritu propheticō dicebat: *Benedicte Domino de fontibus Israël.* Ubi Ambrofius: *Dicendi sunt Apostoli fontes, quia veluti fontes purissimi, gratia predicationis exuberant.* Cui concinit Cyprianus Epist. 74. Si canalis aquam ducens (inquit) qui copiosè prius & largiter profuebat, subito deficiat, nonne ad fontem pergiur, ut illic defectionis ratio noscatur? Ita si in aliquo nuaverit veritas, ad originem Evangelicam & traditionem Apostolicam reverteretur. Quem Cypriani locum cum legisset Augustinus, sic ei subscriptit lib. 5. de Baptismo cap. 26. *Quod nos admonet Cyprianus, ut ad fontem recurramus, id est ad Apostolorum traditionem, & inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est, & sine dubitatione faciendum.* Hic sonora Evangelica veritatis tuba, hi celeberrimi Divinitatis precones, quorum sonus exivit in omnes terre partes, quorum predicatione ubique Deum intonat.

B **Tertiò vera Ecclesia denominatur Apostolica,** quia in ea legitima Episcoporum (qui sunt viri Apostolici) successio ad hæc nostra tempora inviolabiliter deducta, viget & conservatur: facile enim est a Clemente XI. qui nunc feliciter Ecclesiam regit, usque ad Linum, Clementem, Petrum, tandemque ad Christum gradum facere. Quam Episcoporum successionem tanti fecit Augustinus cap. 4. Epistole contra fundamentum, ut dixerit se in Ecclesia per eam potissimum retineri; & merito, sic enim olim expressæ istud à Davide pronuntiatum fuerat: *Stantes erant pedes nostri in atris iuis Ierusalem: Illic enim ascederunt Tribus Tribus Domini, testimonium Israël ad confitendum nomini Domini;* & à Salomon Cantic. 1. cum Sponsæ, ubi Sponsus derget percontanti, responderet: *Si ignoras te è pulcherrima inter mulieres, egridere, & abi post vestigia gregum, & pasce hedos tuos juxta tabernacula pastorum, eorum nempe, per quorum seriem & successionem, nusquam interruptam, ad lectulum Christi Sponsi, id est ad passionem & mortem ejus, possumus devenire.* Unde ex hac perpetua Episcoporum successione argumentantur scripti SS. Patres contra Hæreticos, præsertim Tertullianus libro de prescript. cap. 32. Edant ergo (inquit) origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habeatur authorem & antecessorem? Hoc enim modo Ecclesia Apostolica census suos deferunt: sicut Smyrneorum Ecclesia habens Polycarpum, à Joanne collocatum refert; sicut Romanorum (Ecclesia) Clementem à Petro ordinatum edidit.

C Ex his facile possunt demonstrari alia duo, quæ initio hujus articuli proposuimus, nimirum quantum vera Ecclesiarum notas, jam explicatas, Romanæ quidem Ecclesiarum, non vero Lutheranorum & Calvinistarum sectæ convenire. Primum patet ex dictis: Ecclesia enim Romana est una om-

40:

L 1

nibus modis suprà enumeratis, præsertim ratione unius ejusdemque capituli visibilis, nempe Pontificis Romæ sedentis, qui per totam Ecclesiam supremus omnium fidelium pastor agnoscitur. Et etiam sancta tribus modis suprà explicatis, nempe sanctitate fidei, morum, & confererationis divino cultui. Similiter Catholica est: quia ex urbe Roma diffusa est per totum mundum; nec solum in omnibus partibus terræ antiqui orbis, in Italia, Gallia, Hispania, Germania, Anglia, Polonia, Bohemia, Hungaria, Graecia, Syria, Aethiopia, sed etiam in omnibus quatuor partibus novi orbis, ad Orientem in Indiis, ad Occidentem in America, ad Septentrionem in Japonia, ad Meridiem in Brasilia, & exteriorem partem Africae, sunt qui doctrinam fidei nostra in dies recipiunt, & profitentur. Unde meritò dixit Leo Papa, sermone de natali Petri & Pauli, Romanus alloquens: *Quamvis imperij tui fines terræ marique bello protuleris, minus tamen est quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subjecit.* Et Prosper in carmine:

*Sedes Roma Petri, qua Pastorialis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet.*

Denique Apostolica est: quia à D. Petro, Apostolorum Principe, fundata est, ejusque sanguine purpura; & in eadem fide quam ipse annunciat, inviolata, & sine ulla suorum Pontificum interruptione, perseveravit. Unde Lucius I. Papa & Martyr in Epistola ad Episcopos Hispanie & Gallie: *Ecclesia Romana Apostolica est, & mater omnium Ecclesiæ.* Quæ à tramite Apostolice traditionis nunquam errasse probatur, nec hereticis depravata novitatis succubuit, secundum ipsius Domini pollicitationem. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Similia habet Felix I. Papa & Martyr, in Epistola ad Benignum.

Quod vero quatuor nota prædictæ desint Hæreticorum hujus temporis sectæ, non minus evidens est. In primis enim quantum ad unitatem, manifestum est eam in tali secta non reperi, cum nullum agnoscat caput visibile, quod sit interpres infallibilis fidei, & cuius sententia necessario adhucendum sit, sed pro supra fidei regula sumat internam, ut sibi videtur, persuasionem Spiritus Sancti, id est privatum cuiusque spiritum, quo Scripturæ divina veritatem quod litteram & sensum se cognoscere profitetur; quod non est firmum unionis in fide principium, sed secundum discordiam & hæreseon seminarium, ut recte annotavit Cyprianus lib. 4. Epist. 9. dicens: *Non aliunde hæreses oborta sunt, nisi schismata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex, vice Christi cogitat.* Idem observavit Tertullianus lib. de præscript. cap. 42. *Mention* (inquit) *si non etiam à regulis suis variat inter se (Hæretici) dum unusquisque proinde arbitrio suo modulatur quo accipit, quemadmodum de suo arbitrio compositum ille qui tradidit.* Agnoscit naturam suam, & originis sua morem, profectus rei. Idem licet Valentinius quod Valentino; idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare. Denique penitus inspecta hæreses omnes, in multis cum Autoribus suis dissentientes deprehenduntur. Hoc experientia compertum in Hæreticis hujus temporis, qui Lutheranam hæresim in centum & am-

A plus Sectas diversas distracterunt; & qui alii hodie, & aliud eras credunt, ut de suis Witembergensibus dicebat Georgius Saxonia dux.

Deinde sanctitas, tam quoad intellectum, quam quoad voluntatem, deest hujusmodi Hæreticorum sectæ: eorum enim doctrina multa continet dogmata aperte falsa & erronea, putâ Dei mandata esse impossibilia, etiam cum Dei gratia, homines solâ fide justificari, & peccata qualibet habentibus fidem non imputari, nec quidquid ipsi faciant, posse unquam fidem perdere; neminem mereri bonis operibus factis cum Dei gratia, neque habere liberum arbitrium ad bene operandum. Omitto horrendas Calvinii blasphemias, afferentis Deum esse authorem peccati, non solum quoad entitatem, sed etiam quoad malitiam & deformitatem (ut §. præcedent ex Andrea Duvallo Doctore Sorbonico retulimus) illumine cogere, necessestare, & ad male agendum impellere, & quosdam suâ merâ voluntate creasse ut damnaret. Illi etiam omnia opera laboriosa & satisfactoria, quibus a peccatis deterremur & avocamur, damnant. Inter cætera Confessio-
nis sacramentum ait esse inventum humanum, sacrificinam conscientiarum, & meram superstitionem. Denique omnia quæ austерitatem aliquam & carnis macerationem sapient, respunt, ut abstinentiam à carnis, statutis anni temporibus, jejuniū quadragesimale, cœlibatum Sacerdotum; vinculi conjugalis, saltu in causa diversitatis fidei, dissolutionem astruunt, & fideles per mortem Christi ita esse liberos factos volunt, ut nullâ lege, sive Ecclesiastica, sive Politica, in foro conscientiae teneantur. Ex qua doctrina tam laxa, & tam latè ad liberè & impunè pecandum patente, pullularunt innumera flagitorum genera: Gallos enim, antea Regi suo obsequientissimos, in rebelles & seditiones mutavit; Monachos cum rigore maximo antea viventes, ad laxum vivendi genus traduxit; continentis, mulieros reddidit; & Moniales, voto Deo mancipatas, ad sacrilegas nuptias induxit. Deum (inquit Dubravius) Lutherus brevi temporis spatio, totum illum terræ angulum in quo morabatur, fidefragis, perjuris, adulteris, incestuosis, & sacrilegis replevit. Cujus pestilentialis mutationis illustre testimoniū reddit legatio civium Norimbergensium ad Carolum V. Imperatorem, qui cum sublatâ confessione auriculari, videret omnia flagitia & sceleribus nusquam haðenus auditis redundare, libellum supplicem Imperatori obtulerunt, ut suâ autoritate Cæsaræ confessionem illam observandam ediceret.

C E Sed hæc peritio risu à Catholicis excepta, ab Imperatore rejecta est, & prudenter: nam ut optimè inquit Dominicus Sotus, qui tunc erat à Confessionibus Imperatori, & cuius justi prudentissime consilij pars magna fuit, si secreta confessio peccatorum occulторum, secundum hæreticos, divinâ lege non obliget, quo pačto soli lege Cæsare obligabit: humanæ enim leges tantum de rebus exterioribus instituuntur, & ad interiora non valent se extendere. Ex quibus intelliges, veram esse auream illam Augustini sententiam: *Non ex aliis hominibus sunt hæretici, quam ex iib. de his historiis
iis qui si in Ecclesia permanissent, propter vitæ
veraræ ligione
cap. 6.* Tertio quod Lucheranorum & Calvinistarum sectæ, nomen Catholica, seu universalis, convenire nequeat, manifestum est: cum eorum doctrina in Asiam, Africam, Aegyptum, aut Græ-

ciam, & multo minis ad novi orbis partes non-
dum pervenerit, sicut fides Romana Ecclesie;
neque illi sperare possint (quidquid dicant) suam
fideam aliquando occupaturam esse totum or-
bem. Cum enim Ecclesia, ut fatentur, jam senue-
rit, si eorum congregatio vera est Ecclesia, quo-
modo in senectute cresceret, quae in sua adolescen-
tia & juventute tam parum crevit? Imo, quod ob-
servatione dignissimum est, sicut à nulla unquam
fecta, legis Christi fides apud ullas gentes fuisse
plantata legitur; ita nulla inquam gens Christiana
nam complexa est fidem, nisi eorum opera, qui
cum Ecclesia Romana communionem in fide ha-
buerunt. Nec mirum: *Negotium enim (inquit
Tertullianus) est hereticis, non Euthenicos conver-
tendi, sed nostros evertendi: hanc magis glo-
riam captant, si stantibus ruinam, quam si jacen-
tibus elevationem operentur.*

Denique quod eadem secta non possit dici Apo-
stolica, non minus evidens est, quia Lutherani
& Calvinisti suam successionem ab Apostolis ad
seipso, sine ulla interruptione, ostendere ne-
queunt; ut ab omnibus Patribus fuit jugiter Hæ-
reticis exprobatum, praestim verò a Tertulliano
libro de prescriptionibus: Edant (inquit) ori-
genes Episcoporum suorum, ab initio & per aetas
decurrentium; sic enim Ecclesia Catholica & Apo-
stolica census suos deferunt. Ideo que contra sui
temporis hereticos concludit his verbis, suprà
relatis: *Quā licentia, Appelles, syllavam meam
cedis? Quā autoritate, Marcion, limitem meum
commoves? Quā potestate, Valentine, fontes meos
disturbas? Mei sunt, jure priori possideo. Quae
certè, mutatis nominibus, Luthero, Calvinio,
Zwinglio appositi convenienter.*

Ex his ergo liquet, quatuor vero Ecclesia notas
& perfectiones, soli Romana Ecclesia compete-
re, proindeque eam tantum veram fidem, & do-
ctrinam, ac religionem possidere. Unde Hiero-
nymus Epist. 57. ad Damascum: *Ego nullum pri-
mum nisi Christum sequens, Beatiitudini tua, id
est Cathedra Petri, communione consocior. Super
illam Petram edificatum Ecclesiam scio. Quicun-
que exira hanc domum agnum comederit, prophana-
nus est. Si quis in Arca Nōe non fuerit, peribit,
regnante diluvio. Et paulo post: Non novi Vita-
lem, Meletium respuso, ignoro Paulinum, qui-
cumque tecum non colligit, spargit. Hoc est, qui
Christi non est, Antichristi est. Et Epist. 58. ad
eundem: *Hinc presidiis fulta mundi Arianara-
bies fremit, hinc in tres partes scissa Ecclesia, ad
serapere me festinat &c. Ego interim clamito, si
quis Cathedra Petri jungitur, meus est.* Conclu-
damus igitur hanc disputationem cum Augustino,
& cum S. illo Doctore dicamus: *Amemus Domi-
num Deum nostrum, amemus Ecclesiam ejus: illum
sicut Patrem, illum sicut maevem: illum sicut Do-
minum, hanc sicut ancillam, quia filii ancilla
ipsius sumus.**

Agunt hic aliqui de partibus seu membris Ec-
clesie, & querunt, an homines in statu peccati vel
infidelitatis existentes, membra Ecclesia dici pos-
sint? Sed de hoc commodiū agemus in Tractatu
de Incarnatione disp. 14. ubi de Christo ut Eccle-
sie capite dissolvemus, & utrum sit actu caput
hominum in statu peccati vel infidelitatis existen-
tium, art. 2. resolvemus. Unde ad hunc locum
Lectorum remittimus.

DISPV TATIO IV.

De Summo Pontifice.

Absoluta disputatione de Ecclesia, agen-
dum est de Romano Pontifice, qui est
caput ipsius visibile, & demonstrandum
primo, esse veram ac vivam fidei regulam, sub-
indeque in proponendis & definiendis rebus fidei
errare non posse. Alias postea quae de illo agitari
solent questiones, ea quae poterimus brevitate
& perspicuitate resolvemus.

ARTICVLVS PRIMVS.

*Vtrum in Ecclesia Dei, sit regula vivā
& loquens, quae res fidei cum infallibili
authoritate proponat, eaque sit Roma-
nus Pontifex, & legitimus Petri suc-
cessor?*

Hæretici nostri temporis existimant, Scri-
pturam Sacram, non esse regulam quae res
fidei cum infallibili authoritate credendas pro-
ponat, sed unumquemque interno Spiritus San-
cti ductu ac lumine, ex Scripturis cognoscere,
qua ad ipsum salutem necessaria sunt. Brentius
tamen apud Bellarumin libro 3. de verbo Dei
cap. 3. hoc discrimen inter Principem saecularem
& privatam personam constituit, quod Princeps
habeat publicam potestatem judicandi de rebus
ad fidē & religionem pertinentibus, privata verò
personæ interno Spiritus Sancti lumine, ea dun-
taxat ex Scripturis noscere possint, quae ad suam
spectant salutem. Idem sentiunt Angli hæretici,
qui similiter contendunt, Reges temporales esse
supremos Judices controversiarum fidei, & apud
illos supremā potestatem non solum temporalem,
sed etiam spiritualem residere. Catholici verò
omnes unanimiter docent, præter Scripturas
Canonicas, & traditiones, dari regulam vivam,
qua sit infallibili authoritatis in proponendis
definiendisque rebus fidei, quam omnes sequi
tenentur; talemque regulam dicunt esse Sum-
mum Pontificem, ex cathedra loquentem; quam-
vis gravis inter illos sit disceptatio & controver-
sia, in explicando quid sit Pontificem ex cathe-
dra loqui: aliqui enim existimant, Pontificem solum
loqui ex cathedra, quando præst Concilio Generali; alij verò contendunt, illum loqui ex
cathedra, quotiescumque sive in Concilio, sive
extra Concilium, ut Pastor universalis, aliquid
authenticè proponit tori Ecclesie, tanquam cre-
dendum de fide divina. Verum ab hac celebri diffi-
cultate & controversia, quae tot rumores in Gallia
excitavit, abstrahemus in præsenti, solumque contra
hujus temporis hæreticos demonstrare conabi-
mur, dari in Ecclesia Dei, præter Scripturam &
Traditionem, quae sunt regulæ mutæ & mor-
tuæ, regulam aliquam vivam & loquentem, ni-
mirum Romanum Pontificem, & legitimum Pe-
tri successorem, ut ex cathedra loquentem, &
fidei controversias definitem, præscindendo
ab hoc quod illas vel intra vel extra Concilium
definias.